

*Alethris guineensis*. forte poteris ob baccam novum genus formare, modo altera *Alethris Zeylanica* etiam baccata sit; caeterum inter Baccam et capsulam vix limites intercedunt, ut in *Chironiae* genere etc.

*Dolichos* tuus videtur mihi *Glycines* species, sic suadet facies, racemus, flores alii steriles.

Grates iterum reddo pro seminibus. Frigus vehementissimum ante octiduum congelavit lacus fluviosque. Dum licet intrare Hybernaculum prae tempestate video num queam aliquot semina pro Te colligere. Hisce Vale.

Upsaliae 1771, d 27. Novembr.

Hodie literas habui e Persia.

---

## 59.

Viro celeberrimo D. Jacquinio C. Linné.

Accepi binas Tuas epistolas, et ex omnibus orbis partes tot Aves, Pisces, Insecta, Amphibia, ut nesciam plane quaenam primum expediam.

Tab. 90 delineatio plantae refert *Dolichum Sojam*, sed fructus multum differt. Dixi eam *Phaseolum Mungo* in Mantiss. priore.

101. *Dolichos pubescens*.

71. *Sideroxylon Metastoma*, sic est, sed cur pingas folia nutantia, quae horizontaliter patent, vel magis erecta sunt.

*Forskåhleae* figura quidem ut omnes Tuae bona est, sed non optimum elegisti specimen, adeoque faciem minus repraesentat; qui antea novit quam plantam velis, dignoscit ex figura omnia, sed quidquid sit videtur filii mei specimen, licet rudis figura, melius repraesentare plantam; sed haec non ad me.